



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concilia Galliae Narbonensis

Baluze, Etienne

Parisiis, 1668

XXXVII. Littera super subjectione & obedientia Prioris & fratrum de Monte Carmeli, & super emenda de interdicto Episcopi ab ipsis non servato. Ex Chartulario Episcopi Parisiensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14646

Magistrum & fratres, propter hoc puniri pœna canonica faceremus. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit auctoritate apostolica decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Viterbij Idibus Junij, pontificatus nostri anno secundo.

XXXVII.

Littera super subjectione & obedientia Prioris & fratrum de Monte Carmeli, & super emenda de interdicto Episcopi ab ipsis non servato.

Ex Chartulario Episcopi Parisiensis.

VNIUERSIS præsentis litteras inspecturis, frater Philippus Prior fratrum ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli Parisius commorantium, salutem & gaudium in Domino sempiternum. Cùm Reverendus Pater noster in Christo Reginaldus Dei gratia Parisiensis Episcopus, cui sumus in spiritualibus & temporalibus subiecti & esse promittimus in futurum salva ordinis nostri disciplina, propter quædam gravamina notoria & manifestas offensas sibi & Ecclesiæ suæ in personis, secundùm quod asserit, à Rege & à Seruientibus suis, sententiam

interdicti generaliter in civitate & diocesi Parisiensis exigente justitia promulgasset, nosque ab initio servantes hujusmodi interdictum, illud postmodum violaverimus, januis apertis, campanis pulsatis, alta voce officia celebrando divina, durante sententia interdicti, significamus universis quod nos praedictus Prior, habito consilio cum nostro Conventu super hujusmodi excessu, de voluntate & assensu nostri Conventus hujusmodi ad plenum emendavimus dicto Patri, & nos supposuimus quantum ad hoc suae ordinationi penitus & etiam voluntati, de plenitudine benignitatis suae & solitae misericordiae confidentes. Promittentes etiam pro nobis & successoribus nostris sub debito religionis nos firmiter & humiliter completuros quicquid dictus Pater nobis duxerit injungendum. Salva nostri ordinis disciplina. In cujus rei testimonium sigillum nostrum de unanimi assensu fratrum nostrorum praesentibus duximus apponendum.

 XXXVIII.

Epistola Episcoporum, Abbatum, Capitulum, & aliorum Praelatorum provinciae Narbonensis ad Cardinales Viterbij congregatos, qua eos orant ut Petrum de Montebruno electum Archiepiscopum Narbonensem quamprimum sinant accedere ad Ecclesiam suam.

Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.

REVRENDIS in Christo Patribus & Dominis divina providentia sacrosanctae Romanae